

1. Boek / Frederici Samuelis / Diss. De Notione Immensitatis Dei amplificatione Cœlestis templatione magnitudinis Mundi, Regionum 1766, Autor J. C. Reuvard.
2. Bode / Christophorus Augustus / Protevan, gelium Genesios Cap: III Vers: XV. Helm, stad: 1763.
3. Boekmer / D. philip Adolph: / programma, de Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ——— programma, addita est illustratio addita est: illustratio loci 1 Corinthi 2:1, vers, 51, Halo 1766.
5. ——— programma in Commentationem ad illustratiōnem Actuum Apostolorum, 1766.
6. Buehner / D. Andreæ Elie: / programma in diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrack / Joh: Tob: / programma paraclēti Appellatione Spiritui Sancto tributa, Halle 1764.

DE

INTERNO TESTIMONIO
SPIRITVS SANCTI

C V I V S

PARTEM PRIMAM

AVCTORITATE VENERANDAE FACVLTATIS THEOLOGICAE

PRO GRADV DOCTORIS

AD D. AVGVSTI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

DEFENDET

IO. AVGVSTVS NOESSELT A. M.

THEOL. ORDIN. PROFESSOR.

HALAE

APVD IO. GODOFREDVM TRAPIVM

A. M D CC LXVI.



VIVAS QUAE XENOPHONTIEM (Xenophon III. 2. 24)
 in respondet Christianitas existimant animos in
 litem cohortando strenuos reddi posse, ut dicat: quo ne
 cessitas esset, si cui potior esset hostis debet esse disci
 plina: primum leges huiusmodi, quibus strenuus stupor
 fortibus viis gloriatur et ingenuus contra ignavis humilis,
 doloribusque ac paupertate molestus vitis paritur, de
 inde magistris, qui haec recte demonstrant, nulli scilicet
 docendo et exercendo, his praestudenda illustriant,
 ut strenuos quidem ac nobiles fecerimus, ignavos et
 ignobiles omnium misericordiam subiciantur. Quod est
 dignum est in re militari, tamen multo magis valet in
 disciplina Christianorum, quorum vita, perperam debet
 esse cum cupiditatibus, vitis, dubitationibus, mole
 stis, deinde multis convertitur. Praeterea virtus
 bellica, quae et huiusmodi quadam temperata, et praec
 lentissimo periculo paratur, tamen se non potest ipsi
 tantum, nisi dolorum patientia animi in se habere, tunc
 tur: quid sit huiusmodi per se in se habere, cuius
 in ipsa natura, tamen humana imbecillitas, vel animi
 contentorem impedit. Praeterea res ea, quae proprie
 in se habet, in se habet, in se habet, in se habet,
 et in se habet, in se habet, in se habet, in se habet,
 et non modo in se habet, sed et in se habet, quod cognoscitur
 prout est omnium nostrorum, sed, quae animi in
 se habet, et quae procul sunt ab intelligentis nostra
 animos nostros mouent, hoc magis etiam incredibilis
 et in se habet, in se habet, in se habet, in se habet,



CYRVS apud XENOPHONTEM (*Kypria*. III. 3. 24.)
ita respondet Chryfantæ existimanti: animos mi-
litum cohortando strenuos reddi posse, vt dicat: duo ne-
cessaria esse, si cui potior metu hostili debeat esse disci-
plina: primum leges huiusmodi, quibus strenuis atque
fortibus viris gloriosa et ingenua, contra ignavis humilis,
doloribusque ac paupertate molesta vita paretur, de-
inde magistros, qui haec recte demonstrant, militesque
docendo et exercendo iis perfequendis assuefaciant,
vt strenuos quidem ac nobiles felicissimos, ignauos et
ignobiles omnium miserrimos arbitrentur. Quod etsi
dictum est in re militari, tamen multo magis valet in
disciplina Christianorum, quorum vita, perpetua debet
esse cum cupiditatibus, vitiis, dubitationibus, mole-
stis denique multis concertatio. Namque si virtus
bellica, quae et furoris quadam temeritate, et prae-
sentissimo periculo acuitur, tamen se non potest ipsa
tueri, nisi dolorum patientia animi intentione firme-
tur: quid futurum putamus in disciplina diuina, cuius
nisi ipsa natura, tamen humana imbecillitas, vel animi
contentionem impedit? Etenim res eae, quae propriae
sunt religionis Christianae, ita sunt a sensibus diiunctae,
et vero etiam ita videntur abhorrere a ratione humana,
vt non modo sola fide teneri possint, quod cognitionis
genus est omnium maxime incertum, sed, quo minus in-
adspectabilia et quae procul sunt ab intelligentia nostra,
animos nostros mouent, hoc magis etiam incredibilia
videantur. Quae caligo etsi de ipsis doctrinis deque

mente nostra depelli posset, si animum ad veritatis recte cognoscendae studium intenderemus, tantae tamen ab infirmitate ignauiaque naturae nostrae, a cupiditatum vitiositate, a multis quoque aliis rebus, animi collectionem et tranquillitatem impredientibus, difficultates obiciuntur, vt in vna grauissima ad beateque vivendum necessaria disciplina maxime inertes reperiamur.

Enimvero hic oportet agnosci magnitudinem beniuolentiae diuinae, quae non modo nobis in sacris scripturis veram ad beatitatem viam demonstrat, sed Spiritum quoque nobis dat Sanctissimum, qui, tamquam verissimus *παράκλητος* (Io. XIII, 26) per istud diuinum verbum ita mouet animos nostros, vt, depulsis ignorantiae et dubitationis nebulis, contemptaque vi cupiditatum et omnium molestiarum metu, acquiescentes in promissionum diuinarum suauitate, maximam et veritatis diuinae, et spei beatitatis nostrae certitudinem teneamus. Quae res summam habet vim ad commendandam diuinam religionis Christianae auctoritatem. Nam si nec in humana disciplina quisquam ad contemnendam omnem vim contrariarum rerum proficere potest, sola legum contemplatione, nisi accesserit perpetua magistri admonitio, quae hominis diligentiam et virtutem excitet, id quod, ipsa natura duce, bene XENOPHON vidit: quam diuinam oportet esse disciplinam eam, quae et rectissimas continet virtutis regendae leges, easque summa promissionum diui-

diuinarum suauitate commendatas, et a diuino magistro animis hominum perpetuo imprimitur, ea vi, vt non modo eas, quae sunt ab aliis obiectae, molestias, sed, quod longe difficilius est, nos ipsos omnesque cupiditatum nostrarum blanditias vincamus, vt aduersitates, vt pericula, vt mortem ipsam non solum contemnamus, sed etiam laeti agentesque gratias suscipiamus, idque non quadam animi temeritate vel indolentia ducti, nec argumentorum subtilitate et necessitate rerum intestina coacti, sed vi sensus per scripturas a Spiritu diuino impressi praestemus! Quae dum cogito, saepe soleo mirari quorundam insolentiam, qui hanc auctoritatem ab illo diuino sensu, quem consuetudo theologorum *testimonii interni Spiritus Sancti* nomine appellauit, repetitam repudiant, atque hoc modo id tollunt, quod ad commendationem religionis Christianae plurimum facit. Quamquam qui a nobis ea in re dissentiunt, non eandem rationem tenent. Nam quibusdam displicet omne id, quod in religione praeter naturam dictum vel factum putatur, propterea quod arbitrantur satis esse opis in ipsa hominum natura vel ad videndum verum vel ad bene beateque viuendum. Quorum sunt admodum similes, qui non repudiant quidem motus et significationes diuinas, sed, vt auctoritatem humanam commendare possint, negant vel abiciunt diuinam. Quamquam non ignoro quorundam modestiam, qui vim diuinam in proponenda et persuadenda religione negare non audent, sed dubitare se dicunt,

ac certe verentur ne quasi auctoritate diuina commendentur furiosa Fanaticorum somnia.

Erit igitur operae pretium, aduersus hos omnes, vniuersam de illo intestino Spiritus S. testimonio quaestionem paullo accuratius explicare nostroque modo defendere. Magnum quidem opus et arduum summaque cum cautione tractandum, nec deferendum tamen, cum ab isto loco maxime pendeat verae religionis ac spei nostrae certitudo. Erit autem haec disputatio nostra tripartita. Nam *primum: quid et quale sit hoc*, quod in scholis dicitur, *Sp. S. testimonium* declarabimus; *deinde, quae pro ea re* vel probabiliter vel certius e diuinis sacrarum scripturarum testimoniis *dici possunt*, proponemus; *denique ea, quae contra dici solent* et quaestiones aliquot, quae poni hoc in loco possunt, excutiemus. Sed in hac disputatione hoc magis speramus aequos habituros esse lectores, quo minus copiose est hic locus ab aliis explicatus, ipse etiam, si rem subtiliter quaerimus, ita difficilem explicationem habet, vt si in religione vnquam, in hac certe caussa vehementer cauendum sit, ne vel contemptu rerum diuinarum vel anili quadam superstitione ducamur. Dicam tamen quae mihi vera videntur pro modo ingenii mei; quae si reperiantur consentientia cum sacris scripturis et animi humani natura, hunc certe fructum suscepti laboris habebō, vt et diuina vis vel auctoritas religionis Christianae et certitudo summa olim obtinendae beatitudinis intelligatur.



P A R S I

In qua natura interni testimonii Spiritus Sancti explicatur.

§. I.

In quaestione: *habeatne scriptura sacra caelestem originem?* et in illa altera: *possint quisque certo scire an sibi de Dei gratia et beatitate futura firma spes sit?* non quaeritur qualiscunque certitudo, sed ea quae omnem erroris metum remoueat; non quae hactenus obtineat, quod satis facere aequo iudici et rationi bene iudicanti, aut quae esse in animo quieto beneque composito possit, sed quae ipsam quoque voluntatem animumque vniuersum in suas trahat partes atque tum maxime appareat, cum animus certitudine et consolatione eger h. e. cum dubitationes, dolores, pauores conscientiae et illecebrae ad vitia insignes superandae sunt. Iam cum non nisi triplex detur via, qua quis ad certitudinem contendere possit, quaeque vel *sensu* vel *argumentis* vel *aliorum testimoniiis* continetur: perspicuum est *primum*, ex *argumentis* neutrius commemoratae propositionis certitudinem nasci. Neque enim vel e scripturarum, quas sacras dicimus, vel ex hominis cuiusque natura intelligitur, quod illae doctrinam diuinam complectantur, hic necessario ad sempiternam salutem perueniat, propterea quod vtraque res a solo Dei arbitrio pender. Nam huic

vni

VIII visum est doctrinam salutarem referre in hunc librum, ut, quod
 humana sapientia praestare non posset, per doctrinam obtineretur
 eam, quae imbecillitati humanae stulta videretur. (1 Cor. I, 21); nec
 laboribus meritisque hominum sed sola Dei gratia vera beatitas ani-
 mi paratur, ut vniuersa haec res non nostra sit in potestate sed in
 arbitrio misericordiae Dei. Quare etsi est credibile: Deum praeter na-
 turam instituisse homines velle, cum religio ea, quam sola natura
 docet, animum super quibusdam magni momenti quaestionibus
 non satis tranquillum reddat: tamen haec ratio humana non potest
 nisi coniectura assequi; quod persuasionis genus erroris metum
 nullo modo excludit. Sunt porro testimonia, quibus vtraque res no-
 bis confirmetur, vel Dei vel hominum. In his magna potest esse
 vis ad credendum, sed ad immotam certitudinem parum praesidii;
 propterea quod illi, si vel fraudis, certe non semper erroris exper-
 tes repeririuntur. Ac Dei ipsius testimonium non est quidem vni-
 quam signum veritatis eminentius, si modo est Dei; sed an vere Dei
 sit hoc nimirum subobscurum est. Et manebit illud perpetua
 obscuritate inuolutum, nisi ipso impulsu quodam suo efficiat Deus,
 ut de diuina auctoritate vtriusque propositionis dubitari non possit.
 Idcirco reuoluitur omnis haec causa ad aliquem sensum veritatis,
 qui, cum haec res, de quibus quaeritur, nec per naturam suam sub
 sensu cadere possint, et ab vno Dei arbitrio reperenda sint, ab ipso
 Deo debet impressus esse. Atque his de causis bene solet consue-
 tudo Theologorum humanam a diuina fide discernere, sic ut humanam
 dicant eam, quae res opinabiles aut humano testimonio confirmatas
 sequatur, diuinam, quae in ipsius Dei significatione acquiescat. De
 illa quae sit, quaeque argumenta complectatur, nihil hic attinet di-
 cere; nota res est et a studiosis ex AEGIDII HVNNII tractatu de
 sacrosancta maiestate, auctoritate, fide ac certitudine S. Scripturae (Opp.
 lat. Tom. I. p. 11 seq.) aut et subulioni IO. MVSAEI in introductione in

Theologiam Part. II. c. 4 seqq. et similibus libris petenda. Illa argumenta aiunt credibile reddere id de quo quaerimus, vnam contra eamque firmam et constantem certitudinem nasci ex ipsa vi Dei, qua nos de vtraque re secundum sacram scripturam cogitantes ad veritatem dirigit. Qua in re videntur sequi PAVLLVM Apostolum qui (1 Cor. II, 4) argumenta, quae offert humana sapientia (τὸς αἰθερωπίνης σοφίας λόγος,) tantum *probabilia* dicit esse (πειθᾶς), veram fidem existere e vi Dei s. Spiritus sancti (ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει), quae ἀπόδειξιν, non fallentem certitudinem, gignat.

§. II. Illud quod excludit omnem illum Iam istius sensus diuinam effectiorem in animo, e qua vtraque certitudo existit, appellant *internum Sp. S. testimonium*, non quo sit proprie testimonium, sed nomine inuento ab eius cum testimonio similitudine, cuius auctoritate quem ad modum verum putamus id quod nec naturali quodam sensu nec argumentis percipi potest, sic certi reddimur per illam Sp. S. effectiorem de eo, quocum is talem diuinæ veritatis sensum in animo vi sua coniungit. Atque huius nominis vident tantum non omnes significationem in sacris scripturis, illius quidem, quod exprimit confirmationem de diuina veritate caelestis voluminis, in loco 1 Ioh. V, 6, in quo volunt illa: τὸ πνεῦμα ἐστὶ τὸ μαρτυρεῖν, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστὶν ἡ ἀλήθεια habere hunc sensum: *et Spiritus S. testatur* (in animo nostro) *quod Spiritus* h. e. Euangelium, *veritas sit.* Haud scio an satis bene. Nam cisi verum est τὸ πνεῦμα de Euangelio dici 2 Cor. III, 6 et alibi: tamen illud ὅτι non declarat id quod per aquam, sanguinem et Spiritum confirmetur; erat enim illud iam versu quinto propositum his verbis: ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, sed habet vim confirmandi: *est autem fide dignus hic Spiritus*, vt multi, veteres imprimis, interpretes viderunt. Praeter ea τὸ πνεῦμα τὸ μαρτυρεῖν aequè potest de miraculis intelligi, quibus confirmatum fuit; Iesum vere

esse Christum; nam ille *Φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*, ut loquitur PAVLLVS (1 Tim. III, 16) h. e. *illi fides facta est per miracula*; et ipse IOANNES hoc ipso consilio scripsit Euangelium suum, ut his perspicuis, quae enarrauerat, signis agnoscerent Iesum esse Christum, Io. XX, 30. 31. Quamquam mihi magis placet τὸ Πνεῦμα nostro in loco interpretari de ipso IOANNE, qui tamquam verum πνεῦμα h. e. a Deo actus doctor (hoc certe sensu πνεῦμα cap. IV, 1 seq. dicitur) confirmauerit in Euangelii sui c. XVIII, 34. 35 hoc, quod aqua cum sanguine emanauerit e latere Iesu Christi, qua ipsa re demonstratum fuit et Iesum vere mortuum et eum Christum fuisse. *); erat

*) Ne quis miretur quid sit quod ego hanc sententiam putem verbis Ioanneis subiectam esse, in quam forte fortuna video incidisse quoque virum doctum, nescio quem, cuius super illo loco disputatiuncula exstat in *Bibliotheca Angloiana* (Bibl. Angloise) Tom. VII. P. I. p. 271-84., operae pretium erit lectoribus hanc interpretationem probare. Quod ut fieri commodius possit componam loca ea IOANNIS, quae propter similitudinem suam vim nostri loci declarant:

Io. XX, 31.

Ταῦτα γέγραπται ἵνα πιστεύσητε ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

Ioh. XIX.

34. Ἐκ τῆς πληυρᾶς Ἰησοῦ ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ.

35. Καὶ ὁ ἑωρακὸς μεμαρτύρηκε καὶ ἀληθινῆ αὐτῷ ἐστὶν ἡ μαρτυρία.

1 Ioh. V,

5. Τίς ἐστὶν ὁ νεκρῶν τὸν κόσμον, εἰ μὴ ὁ πιστεύων ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

6. Οὗτος ἐστὶν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ αἵματος Ἰησοῦς ὁ Χριστός· ἐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ τῷ αἵματι.

Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυρῆν.

Ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἢ ἀλλήθιστα.

1 Io. IV,

v. 3. Τὸ πνεῦμα Ἰησοῦ ἐστὶν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἡλθὼν, ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἡλθ.

4. Τίμω νενικήκατε αὐτῶν

2. Πᾶν πνεῦμα ὁ ὁμολογῆσεν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστὶν h. e. non est Pseudoπροφήτης.

v. 1.

erat enim id ipsum in V. T. libris praedictum. Multo veriores sunt ii, qui in nobilissimo loco Rom. VIII, 14. hoc nomen τὸ μαρτυρῆς vident

Vix vereor quemquam fore, qui neget haec loca similia et fatius esse vnum ex altero quam ex ingenio interpretari. Enimvero 1) perspicuum est consilium IOANNIS demonstrandi: quod habeant Christiani cur crederent: Iesum et verum corpus habuisse et fuisse Christum s. filium Dei. Neque enim dubito: homines profanos, qui negabant Iesum Christum vero humano corpore ornatum fuisse (cap. IV, 3), Cerinthianos aut eorum similes fuisse, aduersus quos IOANNES, id quod satis constat, Euangelium suum composuit; qui quidem utrique illi doctrinae aduersabantur. Et cum IOANNES dicat, quod *Iesus, qui Christus sit, venerit, primum* illad ἐλθεῖν, per c. IV, 3, est pro: ἐλθεῖν ἐν σαρκὶ h. e. venire in hunc terrarum orbem sic vt carne s. vero humano corpore indutus fuerit; *deinde* ἐλθεῖν non tam ipsum aduentum Christi quam hoc indicat quo *demonstratum sit* ita Iesum venisse, fere quem ad modum Ebr. I, 6 Deus dicitur in psalmo εἰσεγγεῖν τὸν πρωτότονον εἰς τὴν οἰκμένην h. e. loqui de Christo hanc in terram venturo. Quare intelligitur IOANNEM hic commemorare velle aliquid vnde constet et Iesum venisse ἐν σαρκὶ et cum Christum esse. Iam 2) ipsum IOANNEM, quatenus is quidem de aqua sanguineque e latere Christi mortui manante in Euangelio suo testatus est, esse illud πνεῦμα τὸ μαρτυρῆς dubitari non potest, clamante illo loco cap. XIX Euangelii Ioannei, et in loco cap. IV epistolae nostrae πνεῦμα perspicue ponitur pro eo, qui se profitetur a Spiritu S. doctrinam suam accepisse, cogitque nos similitudo illius loci cum nostro, vt τὸ πνεῦμα τὸ μ. ὅτι Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἦλθε, putemus scriptorem diuinum, eumque τὴν ἀλήθειαν, fide dignum esse, propterea quod secundum cap. IV, 2: πᾶν πνεῦμα ὃ οἰμολογῆι Ἰησ. Χ. ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τῆς Θεῆ, vere diuinus doctor est, non ψευδοπροφήτης. Et est haec ipsa significatio τῆς πνεύματος etiam alibi, ni fallor, ab Apostolo usurpata. In illo quidem loco, qui torquet interpretes Apoc. XXII, 17. quam praecelarus existit sensus, si πνεῦμα de ipso Apostolo haec Spiritus S. impulsu scribente et locum vniuersum ita interpretemur: *Ille qui hoc scripsit diuinitus* (monuerimus IOANNEM saepe de se tertia in persona loqui vt Io. XIX, 35. XXI, 24 &c.) atque sponsa h. e. omnes

vident vſurpatum de eo quod Spiritus S. vere credentes in Chriſtum certos reddat, quod ſint Dei filii aut poſſint bene de eius amore paterno ſperare. Quibus cum aſſentior, non in ea ſum haereſi, vt putem τὸ *συμμαρτυρεῖν* prodere aliquem teſtem, qui cum aliquo altero h. e. Spiritum S. qui aequae ac ipſa conſcientia noſtra huius rei certitudinem efficiat; nam datus illi *συμμαρτυρεῖν* ſubiectus non teſtem veri Chriſtiani, dicunt: *Veni! Quique hoc audierit dicat: Veni!* Vt nihil dicam eius ſignificationis aliquid reperiri Apoc. XXII, 6. vbi pro lectione librorum noſtrorum: τῶν ἀγίων προφητῶν magno conſenſu omnes codices, verſiones et interpretes veteres legunt: τῶν πνευμάτων τῶν προφητῶν (niſi quod obſcurum ſit, an iſte verſus et quomodo exiſtet in codicibus Apocalypſeos qui ſunt apud WETSTENIUM 12. 20. 21. 22. 24.). Atqui πνεύματα προφητῶν quae ſunt tandem alia, quam *prophetae locuti per Spiritum ſanctum*, vt I Cor. XIII, 32. niſi quis forte dicat, quod propemodum ipſe ſuſpicor: τῶν προφητῶν in loco Apocalypſeos eſſe interpretationem ſubobſcure vocabuli πνευμάτων.

3) His ergo poſitis videtur IOANNES vtramque doctrinam ab aduerſariis impugnatam ita aſſerere, vt prouocet ad aquam atque ſanguinem e Chriſti latere perſoſſo manantem. Nam *primum* iſta res vere Chriſtum mortuum demonſtrabat, neque enim viuere poteſt, cuius eſt cor atque pericardium pertuſum, vnde ille ſanguis & aqua manabat; quodſi vero IESVS mortuus erat, ipſum oportebat verum corpus habere, verum hominem eſſe. *Deinde* cum fracti eius non eſſent pedes, quod uſu veniebat in aliis maleficis in crucem actis, ſed latus lancea pertuſum, atque ita fieret id quod, ipſo IOANNE obſeruante c. XIX, 36. 37. erat de Meſſia praedictum, certo conſtabat ipſo hoc ſigno, Ieſum eſſe Meſſiam ſ. Chriſtum. Sed vtramque rem voluerat, vt diximus, IOANNES demonſtrare.

4) Denique cum ipſe Apoſtolus hanc memorabilem rem in Euangelio ſuo ſumma cum aſſeueratione commemorafſet, poterat certe dicere: τὸ πνεῦμα ἐστὶ τὸ μαρτυρεῖν, ipſe ego (in Euangelio) Spiritus S. ductu hoc, narrata illa re, confirmans quod Ieſus ſit Chriſtus, quodque vere carne amicus ad homines venerit. Atque vel ſic recte addidit verſ. 8: οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἐν εἶναι, *hi tres coniuncti ſunt in eadem re confirmanda.*

testem significat, quocum alter aliquid communiter testetur, sed eum, cui aliquid confirmatur, qui certus redditur aliqua de re, veluti Apocal. XXII, 18. et in epistolae nostrae cap. II, 15; nec illa particula *συ* hic magis habet aliquam vim quam huiusmodi particulae in aliis compositis verbis, sed est pro simplici *μαρτυρεῖν* vt. Ebr. II, 4 et alibi. At alia est caussa cur dicam hunc locum ad rem praesentem referri debere. Videlicet *αὐτὸ τὸ Πνεῦμα* haud dubie ipse Spiritus S. est; non, quod scio quibusdam placuisse, animus hominis per Spiritum S. emendatus aut plenus fiducia et amore erga Deum. Quod quidem ita potest intelligi. *Primum αὐτὸ τὸ Πνεῦμα* oportet e superioribus explicari, vbi dicitur v. II *τὸ Πνεῦμα τὸ ἐγγεγραμμένον ἡμῶν ἐν κερῶν*, quod profecto de animo aut fiducia s. amore nostro in Deum valere non potest. Nec video qui dubitari possit, quod de eodem prorsus Spiritu hic loquitur Apostolus, cum dicat: Spiritum esse eum, qui nobis confirmet: nos esse filios Dei et olim participes futurorum sempiternae beatitatis; quem ad modum supra v. 8 sq. nos vere placere Deo, si quidem ille Spiritus Dei reuocantis Iesum ad vitam habitat in nobis. — At v. 15 tamen, qui propius abest a verbis nostris, *πνεῦμα ὑποδουσίας* est animus sibi conscius benevolentiae paternae Dei, contrarium τῷ πνεύματι δουλείας h. e. animo timido Deumque non tam amanti quam metuenti, qualis erat eorum qui vim minarum sentiebant, quas Deus vel minimo aduersus legem Mosaicam delicto adiunxerat. Audio! nec diffiteor *πνεῦμα* coniunctum cum aliis vocabulis saepenumero hoc sensu esse. Sed *πνεῦμα ὑποδουσίας*, aequè potest esse Spiritus S. qui nos certos reddit de adoptione nostra neque nos mancipiorum instar ad seueritatem Domini nostri finit metui exhorrescere; quem ad modum Spiritus S. dicitur Io. XV, 26. *πν. αἰγδοσίας*, quatenus debebat Apostolos certos de diuina veritate reddere. Nihil est igitur in nomine isto, quod possit nostram labefactare interpretationem, quae, si referatur ad superiorem per-

ipſicuaſſam PAVLLI ipſius declarationem, veriſſima reperietur. Quo modo eſt etiam credibile, PAVLLVM, ſi dicere voluiſſet: ipſam per conſcientiam recte factorum aut bene morati animi nos de adoptione diuina certos eſſe, uſurum fuiſſe his uerbis: τὸ πνεῦμα ſυμμ. τ. πνεῦματι ἡμῶν, quae uidentur vnum πνεῦμα commemorare, quod confirmet, alterum, cui quid confirmetur; quidni potius, ac certe ad ambiguitatem fugiendam: ſυμμ. ἡμῶν? Nec uidetur mihi quidem illa interpretatio ſatis conſentiens cum Paulli conſilio, qui ipſa in ſectione noſtra aſſert conſolationem eam, qua confirmari poſſit animus turbatus conſcientia multorum peccatorum et perpetui impetus, quo ad peccata, inuitus etiam, fertur. Qui cum eſt iſta cogitatione commotus: quomodo poteſt acquieſcere vel in conſcientia recte factorum, comparata illa quidem cum legis diuinae ſeueritate, quae perfectam obedientiam requirit, vel in perſuaſione amoris erga Deum, quem eſſi homo in ſe agnoſcit, cum ſentit ſe delectari lege diuina (cap. VII, 22), tamen cogitur profiteri (v. 24): *O me miſerum, quis me liberabit ab hoc mortifero libidinum contextu!* niſi praeter hanc turbatam conſcientiam ſit aliud quidpiam, quo pacari animus poſſit? Denique locus plane ſimilis Gal. III, 6 Spiritum ſanctum hic intelligendum demonſtrat. Nam cum ibi Spiritus filii Dei *miſi* dicitur; non poteſt hoc ſecus quam Io. XV, 26 et alibi de ipſo Spiritu S. animum humanum mouente accipi, nec aliquis quaſi clamor ab ipſo motus in animo dici, cuius ipſius ſaepenumero, ut ait PAVLLVS Rom. VIII, 26, filii Dei ſibi non ſunt conſcii, ſi conſcientia hominis ſancti intelligeretur. Ceterorum huius loci excutiendorum infra opportunitas dabitur; nobis quidem hoc vnicum erat propoſitum, docere, quod in hoc loco vere Spiritui S. confirmatio animorum noſtrorum ſuper adoptione noſtra tribuatur. Nec tamen ſatis accurate, fateor, μαρτυρίαν per *teſtimonium* conuerti, certe improprie admodum diceretur teſtimonium id, quod aliqua in animum

im-

impressione continetur, non significatione aliqua vel verbis vel scripto facta. *Μαρτυρεῖν τι* quidem apud Graecos est; vel: laudare aliquem, vel: assentiri cuidam vel: alterum de aliqua re certum reddere, alteri aliquid confirmare, quo sensu est etiam in N. T. Ebr. II, 4. vbi *συνεπιμαρτυρεῖν* idem est atque *βεβαιεῖν*, quod in eadem caussa h. e. de confirmatione doctrinae Evangelicae per miracula Marc. XVI, 20 adhibetur. Minuta haec posset obseruatio videri, si quidem minutum dici debet id quod ad recte intelligenda scripturae loca facit, nisi animaduertissem huius significationis ignoracionem multos transuersos egisse vt super isto Spiritus S. testimonio e compendio suo magis quam ad Scripturam sacram accommodate philosopharentur. At quoniam *testimonii* vocabulum Theologorum consuetudo probauit, seruemus illud quidem, sed quid sit illud, age! paulo accuratius explicemus!

§. III.

Nobis autem videtur *internum*, quod dicitur, *testimonium Spiritus sancti* ita definiri debere, vt sit: *sensus internus, supra naturae humanae vires effectus a Spiritu S. per sacrae scripturae doctrinam, per quem existit certitudo quod vel diuina sit ista doctrina vel nos gratiosi simus Deo.* De qua definitione cum videam non omnes consentire, necesse erit vt eius partes et interpretemur et afferamus.

§. IIII.

Ac *primum* dicimus effectiōnem diuinam, e qua haec certitudo nascatur, *sensu* quodam *interno* contineri. Nempe cum quibusdam usu veniat, ut *sensum internam* dicant omnem conscientiam eorum, quae intus in animo fiant, vt cum sentiamus nos vel cogitare, vel appetere aliquid vel refugere, quem ad modum *externum* aiunt esse eorum, quibus corpus mouetur; aliis contra terminetur *sensus externus*

verum, perceptione eorum, quibus extrinsecus corpora nostra pel-
 luntur, *interius*, quacumque conscientia, motionum, quae intra
 nos siue in corpore siue in animo nostro sciuntur, veluti cum famem,
 vel in visceribus dolorem, vel quemlibet animi impulsum personifica-
 mus, illam superiorem notionem hic velimus obtineri. *Qui sensus*
haec a iudicio vel ratiocinatione differre videtur, quod *sensu* res ani-
 mum nostrum mouentes, earumve veritatem, nulla re alia assumpta,
 percipiamus, quo fit, vt quod aut eui ita sit, rationem aliam, praec-
 ter ipsam conscientiam, reddere nequeamus; secus ac in *iudi-*
cio *conclusiones*, quae diuersarum notitiarum coniunctionem ita
 declarant, vt vel e natura vtriusque conjunctae notitiae perspe-
 cta, vel ex earum similitudine cum aliqua tertia, vnam cum alte-
 ra cognoscamus coniungendam esse. Jam eum, qui participes sit in-
 terni Sp. S. testimonii, dicimus longe certissimum esse de veritate diui-
 nae atque sibi paratae beatitatis, non propter conscientiam alicuius talis
 interuenientis notitiae, cuius vi efficiatur enunciati vel conclusionis ve-
 ritas, sed per impressionem Spiritus S. in animo factam, qua fit, vt il-
 lam certitudinem quasi tamquam praesentem contueatur. Atque
 hanc esse mentem Theologorum nostrorum, qui *deus* et purita-
 tis diuinae in docendo studiosi sunt, etiamsi id non dicant his ipsis
 verbis, ex eo potest intelligi, quod hanc doctrinam diuinis adhibitam
 fidem regendam a vi argumentorum aut momentorum proficisci, siue,
 quod idem est, a vi logicae et morali doctrinarum, sed a sola virtutis
 Sp. S. a confirmatione cum sacris scripturis ducunt. Neque vero id
 nobis debet quisquam vitio vertere quod a quodam sensu non modo
 rerum singularium, sed integrarum quoque propositionum certitu-
 dinem reperimus. *Quidquid* enim de quibusdam vel notitiis vel
 principiis ipsa natura in se et nostro quasi animo insculptis a Deo sta-
 tuamus, si tamen semper debet animus certas et fixas regulas in iu-
 dicando appetendoque sequi, quomodo vel iudicare posset vel mo-
 neri,

ueri, nisi in natura nostra essent quasi semina eius quod verum re-
 ctumque sit, siue principia quaedam nunquam fallentia, ad quae omnia
 sint referenda, ista autem nusquam? Quae principia, quoniam de-
 bent vltima esse et extrema, non possunt ex aliis ante clare perspectis
 intelligi, sed sensu quodam percipiuntur. Vt nihil dicam, quod vsu
 et exercitatione ad eam possimus *αὐτομάτως* in iudicando appetendo-
 que pertingere, vt inde quidam *sensus veritatis*, *sensus* quem *moralem*
 nonnulli dicunt, *gustus* denique pulchritudinis aut deformitatis existat.
 Quo modo cum Deus nostram constituerit naturam, profecto non ab-
 horret, Deum, si velit, imprimere alicuius doctrinae certitudinem ani-
 mo nostro posse, vt eam solo sensu agnoscamus. Quod quale sit, vel
 in bestiis quodam modo animadueritur, quae, vt *C. REBRON* g
 vtar verbis (de amicitia, c. 8.), *ex se natos ita amant ad quoddam tempus*
et ab eis ita amantur, vt facile carum sensus appareat. Neque harum
 sagacitas, astutia, et admirabiles quaedam artes in pabulo quaeren-
 do, in domiciliis extruendis, in laessendo et defendendo, ceteris-
 que ad conseruationem vitae et commoditates pertinentibus, sine ali-
 quo tali sensu intelligi possunt, quo, sine errore aut deliberatione vl-
 la, accuratissime ducuntur. Quae quidem a *REIMARO* exquisitissi-
 sima doctrina viro, ita eleganter demonstrata fuere, atque bestiis in-
 de talis sensus ita praeclare assertus, praesertim in illo longe doctissi-
 mo libro de *animantium instinctu* (§. 41 seq., cap. XI. §. 136 sqq.) eiusque
 in *appendice de virium naturalium determinatione*, vt requiritur nihil am-
 plius possit. Hominibus autem si vnquam vere diuinis afflatus con-
 sigit, aut si fuerint, quibuscum illae dotes plane singulares. Cor.
 XIII. et alibi commemoratae communicarentur? oportet istos ipso sen-
 su percepisse diuinam praesentiam. Neque enim sine summa stultitia
 aut temeritate poterant ea, quae in mentem venerant, tamquam
 diuina tradere, vel cum impetu quodam se sentirent ad miracula
 edenda ferri, haec recta animi fiducia moliri, vel barbarorum lin-

quis sine errandi formidine ut, nisi huius modi sensu confirmarentur. Ex his omnibus, quis et qualis sit ille interior sensus, arbitraris perspicuum esse.

§. V. O Atqui cum haec dicimus, aperitur error eorum, qui hunc interiorent sensum eundem volunt cum *spirituali experientia* esse, quae nos doceat *primam* doctrinam sacrae scripturae veram esse, cum videmus, quanta vis sit peccati ut nihil nobis in ipsis sit praesidii ad recte beateque viuendum, quam expers solatii animus qui nihil videt nisi quod agendum fugiendumque sit, non item de diuina misericordia certus est, et quae sunt generis eiusdem; *deinde* quam firmus beati cum praecepta diuina sequimur atque in vna gratuita Dei beniuolentia eiusdemque promissis acquiescimus. Vera sunt quidem haec omnia animosque nostros possunt mirum quantum confirmare, quo fit ut CHRISTVS ipse Io. VII, 17. hanc viam omnibus commendet, qui cupiunt veritatem doctrinae Christianae reperire: sed non est in illo usu si experientia id, quod dicimus Spiritus S. testimonium. Etenim assensio ea, quae ab illo *usu* proficiscitur, sequitur eorum, quae sacra scriptura tradit, congruentiam cum iis, quae nobis alias animaduersa fuerunt, et continetur quadam quasi comparatione propositionis, cui assentimur, cum aliis antea perceptis. Quod longe fecus est in iis, quae interiore sensu percipiuntur; his enim ut adhibeamus fidem, ipse hic sensus facit, etiamsi illa res nunquam antea neque aliunde cognita fuerit. Bestiae quidem eae, quarum artificiosissimam in fabricandis nidis vel latibus sollertiam admiramur, non magis studio et animaduersione ad hanc illamue figuram effingendam adducuntur, quam eius artis adhibendae facultatem exercitatione didicerunt; sed protinus ipso sensu suo figuram suo vitae generi accommodatissimam et acutissime vident et callidissime exprimunt. Contra aliae, quae fuerunt hominum diligentia coactae ut

eas corporis motiones effingerent, quas sibi ipsis relictas, sola natura duce, numquam adhibuissent, vsu et exercitatione, eosdem hominum gestus saepe animadvertendo, iisdemque motionibus cendis, has artes didicerunt. Quod idem in hominibus est, qui, vt hoc vtar, *totum maius esse aliqua sui parte* statim agnoscunt, cum, quae fit vis huius propositionis, intelligunt; sed idem possunt discere cum totum in suas partes dissecuerint, illud quidem sensu quodam, hoc experientia; vt facile, quid sensum inter ac experientiam interfit, intelligatur. Quare, si quidem vel legimus sacrae scripturae doctrinas, vel audimus easque perpendimus, atque animus ad assentiendum impellitur conscientia veritatis, quam vnus efficit impulsus diuinus cum illis doctrinis coniunctus, etiam sine vlla conformitate earum cum aliis visis perspecta; itemque si, promissorum Euangelicorum suauitatem ad me pertinere, hoc ipso modo efficitur, vt firmiter credam: adest ille sensus, quem volumus, et fides diuinitus procreata. Sin autem ista cauciata S. Scripturae vera, atque beatitatem, cuius spem fecit, *mibi factam* puto, propter ea quod illa videam consentire istis, quae alias a me obseruata fuere, aut in me sentiam cum animam easque virtutes, sine quibus nemo potest illius particeps esse beatitatis: haec certitudo experiundo est acquisita, nec statim suam a Deo originem ducit, vt deinceps docebitur.

§. VI.

Sed vt appareat dilucidius, quid et quomodo sensum illum interiorum et experientiam s. ysum interfit, pressius ista persequamur. Nempe in hac causa *vel* de illorum certitudine quaeritur, qui iam iustificati sunt et vere animo emendati, *vel* horum, in quibus per S. Scripturae doctrinam, emendationis sunt, quasi prima fundamenta iacta. De his si volumus nostri dissentientes intelligi, perspicuum est: hos neque iam posse de sua adoptione certos esse, quippe quae ante

emendationem perfectam et iustificationem ne esse quidem potest, neque omnino aliquam exercitatione s. vsu certitudinem harum rerum obtinuisse, non secus ac tenellos infantes, in quos nulla cadit certitudo experiundo acquisita. Certe non erant participes huiusmodi vsus, qui, ad PETRI Apostoli orationem statim animo commoti, quaerebant: *Quid nobis faciendum est, fratres?* (Act. II, 37) et per baptismum illo ipso die Christianis adiungebantur, aut Lydia illa, quae vi verbi diuini compulsae, admittebat haec, quae PAVLLVS docuerat (c. XVI, 14). Sin illi intelliguntur, qui iam vera fide cooperati sunt inter filios Dei, tamen multis modis differt certitudo, quae e sensu interiore venit impresso per Spiritum S., et ea quae vsu vel experientia paratur. *Principio* declarauimus: hanc facultatem s. habitum crebrius experiundo acquisitam non nisi in hos, qui iam iustificati sunt, cadere; sed ille sensus interior etiam est eorum, qui salutariter, idque diuinitus, incipiunt moueri; nec modo nostri sic sentiunt: verae emendationis semina in animos emendandorum conici; in iisque primos fructus ferre per virtutem diuinam, quae est cum doctrinis sacris coniuncta, quo fit, vt aliqua talis conscientia veritatis et salubritatis harum doctrinarum etiam sub initium istius emendationis oriatur in animo; sed exempla, quae modo e sacris scripturis commemorata fuere, idem illud confirmant: talem veritatis sensum natum in primorum Christianorum, veluti Lydiae, animis fuisse, tamen nullius iam tum possent spiritualis participes esse experientiae. *Deinde* illud ipsum vocabulum *experientiae spiritualis* aliquam habet ambiguitatem. Heccine nomen, quaero, ductum est ab auctore huius notitiae, Spiritu Sancto, vt *Spiritualis* dicatur propter ea quod ab illo animis impressa, non natura acquisita fuerit? an ab eo tantum, quod complectatur notitias ad veram religionem pertinentes easque in Sacris scripturis traditas (solent enim tales *Spirituales* in scholis dici), etiamsi hae vel ex ipsa

ipfa rerum natura colligi, sine institutione diuini voluminis, vel percipi quoque et probari possint, sine impressione a Spiritu S. repetenda? Et, vt alijs vtar verbis, estne haec experientia *spiritualis* appellata, propter eum qui has notitias animo, vi diuina imprimit, an, vt scholastica consuetudo loquitur, *obiectiue tantum, et finaliter?* quemadmodum Theologi nostri non tantum haecenus volunt vim sacrarum scripturarum *diuinam* dici, quod ea, quae in illis proposita reperiuntur, a Deo fuerint patefacta, etsi non habeant aliam, nisi naturalem caeterisque cum libris humanis communem vim, sed etiam haecenus, quod ipse Deus vim suam, excedentem omnes naturae vires, cum illis doctrinis coniunxerit atque hac vi sua eas ad assensum sciendum imprimat animis? Nempe, si vel haec experientia *spiritualis* dicitur, quae, de rebus etiam in sacra scriptura patefactis, acquiritur vnus naturae adiumento, ita vt ad assentiendum non opus sit Spiritus S. effectione: multa sunt quae ita intelligantur. Nam quotidiana consuetudo cuius ad ea, quae sunt, attendenti confirmat idem quod sacra scriptura docet: nihil fortuito fieri, sed esse admirabilem Dei providentiam, quae huius vniuersae conuersiones regat, temperet et vel pessimum quodque ad opportunitatem nostram dirigat; nec potest is, qui omnem animum atque vitam secundum scripturae S. praecepta instituit, non sentire illam liquidissimam beatitatem, quae e tanta virtutis conscientia existit. Taceo alia, quae sunt istius vsus, sed huius generis doctrinas quis dicet animis demum per Spiritum S. impressas, in iisque id esse quod dicitur interius Spiritus diuini testimonium? Denique multa, quorum diuina oracula mentionem faciunt, ne sunt huius modi quidem, vt possint sub experientiam cadere, veluti illud primum: quod per fidem in Iesum Christum vnice gratiosi sumus Deo, omniaque ea, quae, tanquam futura, fide teneri, non mente praefagiari aut vsu nunc disci possunt. De quibus quomodo possumus esse certi,

ita certi vt cum hac iucundissima spe comparata vel huius vitae gaudia contemnamus, ac deterrima quæuis, si Deo ita videretur, læti suscipiamus, nisi alia re, ab experientia valde diuersa, sustentemur? Ac profecto Dominus noster Iesus, Christus cum eos dicat beatos, qui, etsi non vident, tamen credant (Io. XX, 29): non vult ille quidem veram fidem ab experientia et vsu manare, si quidem illam ipsam experiendi curiositatem, tamquam ad fidem necessariam, in Thoma vituperauerat, sed verae fidei certitudinem, quam Euangelium requirit, aliunde arcessi. Itemque Paullus Apostolus (1 Thess. II, 13) laudat Thessalonicenses, quod doctrinam diuinam ita, vt est vere, non tanquam humanam probauerint, quamquam ea postea, quam ita ab illis probata fuerat, in his credentibus fructus tulerat suos. Quo fit, vt non modo in errore versentur ii, qui intestinum Spiritus S. testimonium cum experientia idem esse putant, sed in errore etiam ipsi naturæ Evangelii inimico, quod fidem, non experientiam, ad salutem acquirendam præscribit.

§. VII.

Sed huius erroris similis est admodum alter ille, qui hoc verum testimonium ratiocinatione vult contineri ita, vt, quidquid dicimus nobis hoc testimonio constare, siue veritas sit vel auctoritas diuina sacrae scripturae, siue spes nostræ beatitatis, ex aliis aliunde cognitis propositionibus iisque inter se coniunctis conclusum sit, in hunc fere modum: Quicumque liber ea continet quæ, nisi a Deo intelligi, a nemine reperiri poterunt, aut: ita mouet et emendat animos nostros, vt ea emendatio natura non poterit effici, ille haud dubie profectus est a Deo. Itemque: Qui talis est, non potest non beatissimus esse. Sed istæ virtutes sunt sacrae scripturae, aut: talis ego sum. Quare non possum vel deicius auctoritate diuina vel de mea salute dubitare. Hæc est igitur ratio eorum, qua terminant id, quod quaerimus, testimonium; quamquam sententiis quodam modo

modo discrepant. Nam non solum illam ipsam rationem diuersis modis concludunt, sed sunt etiam, qui omnem huius ratiocinatio vim putent esse in veritate virtusque propositionis e qua colligitur tertia atque in eo quod haec e ceteris recte conclusa sit; alii qui illam vim ad impellendum animum etiam videantur quaerere in celeritate, qua animus hanc ratiocinationem cum omnibus retro argumentis percurrat; qua opinione etiam inducuntur vt credant: vim istius rationis labefactari, cum, ista celeritate remota, quasi per partes de ea ratione quaerimus; tertia est sententia eorum, qui Spiritum sanctum aiunt effectione sua nobis et ea e quibus colligitur et ipsam conclusionem persuadere. Quae sunt omnia paullo diligentius examinanda, vt quid ea in causa verum falsum sit, intelligi liquidius possit.

§. VIII.

Principio non oportet confundi quaestiones duas valde diuersas. Nam si de genere aut modo certitudinis quaeritur, qua dicimus nos tenere vel veritatem doctrinae scripturae vel spem beatitudinis nostrae; alterutrum necesse est quaeri vel quo modo ipsa haec vtraque de re diuinitus simus certi, vel de modo agnoscendi quod haec ipsa certitudo a Deo sit sine a Spiritu S. profecta. *Illam* aio certitudinem sensu quodam contineri, hanc etiam ratiocinando reperiri posse; fere quem ad modum calorem percipimus ipso sensu, sed, eum a sole esse, argumentando colligimus. Atqui de postrema quaestione non est quod hic disputetur, cum infra commodior futurus sit de ea re quaerendi locus. Sed ipsam de illa vtraque superius commemorata re certitudinem quis potest dicere ratiocinatione existere, non aliquo sensu? Etenim si illa gigni non natura quidem sed per Spiritum S. debet: non potest vis illa, quae certitudinem gignat, esse vel in ipsa veritate propositionum, e quibus conclusio ducitur,

ducitur, vel in legitimo concludendi modo, ut volunt ii, quorum opinionem supra (§. VII) primo loco recitauimus; neque enim tum e vi Spiritus S. conjuncta cum verbo suo, sed ex aliqua intestina propositionum veritate vel necessitate ratiocinationis, illa certitudo nasceretur. Porro si ista est a Spiritu S., nihil quidem id est ad certitudinem talem quod subito mens percurrat ea, e quibus id quod quaerimus cogitur (nam ita sunt qui dicant, ut eodem in loco dixi (§. VII); propter ea quod, hoc sumto, omnis vis ad confirmandum foret in cogitandi quadam celeritate, qua detracta omnis illa quasi diuina vis elaberetur; Spiritus quidem sanctus nihil ad id fecisset. Melior est tertia ratio superius proposita, quae, nisi ratiocinationem tamquam necessariam ad istam certitudinem postulat, nequaquam discedit a sententia nostra. Nam illa ratio quorundam recte sentientium cum istam ratiocinationem adminiculum et quasi instrumentum putet esse, quo vitur Spiritus S., quamquam et illo, si vellet, carere possit: vnā vim ad hanc certitudinem ciendam a Spiritu diuino repetit ita, ut certitudo non per vim naturalem et cuiusuis argumenti propriam sed per impressionem Sp. S. et ab eo effectum sensum proprie existat.

§. VIII.

Atque hoc, opinor, rectius intelligetur, cum *alteram* observationem addidero. Nempe cum confirmamus: Spiritum S. ipsum, cuius vim sentiamus in animis, non aliquam interuenientem ratiocinationem, huius certitudinis causam esse: non sumus ii, qui negemus eum via et ratione argumentorum vti; quidni enim, ut sacra scriptura aut medijs alijs, sic quoque his adminiculis vteretur? Non est profecto dubitandum, tempore eo, quo per Petri Apostoli orationem, tantus numerus Iudaeorum ad Christi doctrinam amplectendam incitabatur, in qua quidem oratione etiam vera facta esse V. T. de Messia vaticinia in Iesu Petrus demonstraerat, multos ad Iesum

Iesum agnoscendum compulso fuisse per illa vaticinia, quae Petrus commemorauerat auditoribus. Sed illum effectum non concedimus a ratiocinatione, tanquam a causa, proficisci, sic, ut ipsa ratiocinatio vi sua propria cum omnibusque rectis conclusionibus communi, huiusmodi certitudinem gignat. Ad volumus, causam esse vnum Spiritum S., qui sua haec divina vi huic instrumento ratiocinationum vim addat, quae possit tantus effectus gigni, qui, nisi haec vis diuina accessisset, nequaquam extiturus fuisset. Neque enim inter ipsam causam et instrumentum nihil interest; neque huic effectus, nisi valde improprie, tribui potest. Quid? cum Deity vitatur rebus aduersis ut e sopore impium excitet, ut ad meliorem frugem adducat; quid? cum Christus magno clamore Lazarum euocet, ut vivus prodeat relicto sepulchro: quis ausit dicere: Lazarum clamore, tanquam causa, e mortis quasi somno experrectum fuisse? aut aduersitatum ipsarum eam esse vim, ut non modo agnoscerent miseriam suam emendandique animi necessitatem perspicere, sed voluntatis quoque confugiendi ad Deum compos fieri homo possit? Quid? si quis vitatur in argumentis proponendis subtilitate methodi, eritne omnis vis ad convincendum ipsis argumentis, non methodo, tribuenda, etiamsi per hoc adminiculum commodior facta sit erroris depulsio? aut Paulus cum dicat (Rom. VII, 14) peccatum per legem inducere hominem ad peccandum: atque pessum dare; quis est ita impius aut negligens ipsius interpretationis Paulinae, ut putet, si legem diuinam ipsam in causa esse, cur homo et peccet et pereat? Demus igitur illud: adhibere etiam Spiritum S. rationes et argumenta in efficienda certitudine, vel doctrinae, vel peccatis nostrae: ipsa haec certitudo, quoniam aliqua eius impressione, non vi argumentorum effecta est, ex aliquo veritatis sensu, non e conclusione, existit, ac illud ipsum, quod testimonium Sp. S. dicimus, sensu quodam non ratiocinatione continetur. — At habet ipsa tamen

rationatio bene conclusa eam in se vim, ut mentem ad verum percipiendum dirigat. Habet profecto, si primum percepta est et liquida veritas eorum, e quibus cogitur percipiendum, deinde si nihil est, quod impediat, quo minus propositionem e superioribus recte collectam vere perceptam putes. Neque enim hoc postremum negligendum esse reor. Fit saepe ut et ea, e quibus colligitur, a nobis percepta videantur, nec vitiosus est adhibitus ex his colligendi modus; nec tamen potest animus in veritate conclusionis acquiescere; est quaedam probandi species, sed percipiendi signum nullum habemus, quare illam rationem non quidem tamquam falsam repudiamus, sed assensionem sustinemus, nec alterutram in partem certitudo reperitur. Huius generis sunt, cum pro contraria sententia dici posse videntur, quae quo modo labefactari possint, non appareat; cum temeritas opinionum sic animo insedit atque ipsa diuturnitate et quasi familiaritate tantam auctoritatem nacta fuit, ut non modo euelli non possit, sed de contrariarum sententiarum vi multa quoque detrahat; cum vel amor nostri vel ipsius vitiositas naturae quasdam libidines aut peccata ita conciliauit, omnia ut nobis inuisa sint, quae illis vim videntur inferre. At multae sunt huius ac superioris generis difficultates, quibus superandis afferuire debere Spiritus Sancti adiumentum, infra docebitur, ut mirari nemo debeat, cur mentis nostrae debilitatem accusamus et requiramus sensum a Spiritu diuino impressum.

§. X.

Per haec ipsa, quae diximus, intelligitur etiam illud, cur, cum aliquam non negemus certitudinem sola ratiocinatione, etiam non proprie adiuvante Spiritu S., obtineri posse, tamen postulemus huius effectiorem diuinam, nec illa qualicumque certitudine contenti simus. Hoc videlicet est tertium, quod dari hac in disputatione aequum est: et diuinam sacrae scripturae originem et spei nostrae

nostrae certitudinem, magnam ad animi confirmationem et tranquillitatem, ratiocinando colligi posse; veluti cum veteris memoriae monumenta adhibemus vt intelligatur: vniuersam sacrorum librorum comprehensionem tamquam caeleste volumen agnitam fuisse ab iis, qui et potestatem eius rei cognoscendae & voluntatem vel repericndae vel proferendae veritatis habebant; itemque cum e libris, quorum sic est aut alio modo auctoritas diuina constituta, primum cognoscimus: qua lege atque via Deus nobis spem fecerit futurae beatitatis, deinde, vtrum eadem in via simus, accurato examine dispiciamus. Magnam haec, non diffitemur, certitudinem conciliant, et profecto, si recte excutiuntur omnia, e quibus ista res iudicari debet, tantam, quantam et rei ipsius natura permittit et integro iudicatis est; at illam *δοξολογίαν*, quam (§. I.) requirebamus, hoc modo contingere, vehementer est dubitandum. Sed de ea re alias; hic satis est dedisse aliquem talis ratiocinationis vsum, et certitudinem aliquam, quae ex hoc fonte scaturiat; testimonia quidem Sp. S. aliam maiorem complectitur.

§. XI.

Ac dum concessimus (§. VIII.) Spiritum S. ratiocinatione vti tamquam instrumento posse: nec illud *porro* diffitemur eum, quem dicimus, sensum posse quodam modo in ratiocinia tamquam in partes tribui et, vt ita dicam, explicari, sic, vt in illo sensu quasi inuolutae rationes iaceant. Ita cernimus bestiarum artificiosissimos imperus e tot et tantis notitiis ac veluti deliberationibus coniunctas et copulatas esse, vt multi iique illustres philosophi non dubitauerint illis vim componendarum idearum ratiocinandique tribuerent. Nos autem ipsos quoties non meminerimus, notitias quasdam vel propositiones et ratiocinia saepe coniunctim repetendo & diligenti singularum alicuius rei partium cogitatione, ita imbutos aliqua e

pluribus concreta cogitatione, vt ex infinitis quasi cogitationibus vna constata fuerit; et quae olim multis continebantur ratiocinationibus, nunc sensu quodam percepta reperiantur. Quod cum fit, non magis eo tempore ratiocinamur et singula mente complectimur quam bestiae, quarum natura alienissima est ratiocinandi vis; et perspicuum est, vt hoc vtar, omnem perire pulchritudinis sensum, quotiescunque rem pulchram partim in suas partes, eiusque virtutes singulatim contemplamur, propter ea quod pulchritudo confusa perfectionis impressione continetur. Sint illa sane alias distributim cognita, sit sane natura quarundam rerum, quae solo sensu percipiuntur, ea, vt explicari in multas partes et ratiocinia possit: tamen tempore eo, quo sensu quodam tenentur, et apud eos, quibus tali sensu perspicuae sunt, nequaquam argumentatione concluduntur; nec, quoniam ea, quae in animum nostrum illabuntur imprimente Spiritu S., possunt argumentis concludi, ratiocinationi ea tribui debent.

§. XII.

Haec itaque placet igitur opinio eorum, in quibus testimonium Sp. S. inter finem ratiocinationi afferendum videbatur; sed admonent nos ea, quae modo diximus (§. XI.), vt pauca adiciamus contra errorem, qui vim huius testimonii vult minui dissectione eius in suas partes. Quod *primum* abhorret a natura sensus, quo diximus hoc testimonium contineri; nam, quae hoc modo percipiuntur, non existunt, vt in ratiocinando, e pluribus inter se coniunctis, saltim non e pluribus, quorum nobis est copulatio perfecta, sed ex ipsa impressione Spiritus S.; quem ad modum quae extrinsecus in animum iniiciuntur, eum mouent ipsa, sine alius notitiae interuentu. Quare, quoniam hic sensus est per actionem Spiritus S. singularem impressus, non potest eius certitudo aliqua partitione labefactari,

non

non magis certe, quam percepti alicuius visus, quod verum certum, que esse non definit, etiam si singulatim consideraueris, quae possint in isto discerni. Tum, si dederim etiam, hoc a Spiritu S. impressum constat esse e pluribus inter se coniunctis notitiis, quae, cum confusus ab animo percipiuntur, vnam efficiunt: tamen illi per distinctam in suas partes explicationem nihil quidquam certitudinis periret. Quid? si horti iucundissima amoenitate vno obtutu perspecta, eius incipiam partes contemplari, vt multiplicem eius artem et florum suauissimam diuersitatem distributim cognoscam, desinet quidem animus pulchrarum rerum multitudine, qua obrutus erat, moueri, et erit pulchritudinis vniuersae sensus, vt simplicior, ita debiliior; at num ipsa de horti amoenitate certitudo minor quam antea erit? Omnino perceptionis minuitur certitudo, cum ea e pluribus coniunctis existerit, quae separatim sumtae parua, coniunctae cum ceteris magnam vim habent. Quod quidem non est eius perceptionis, de qua disputamus. Nam cum debeat effici ab ipso Numine, ab illo necesse est vim ad confirmandum animum habeat quidquid vel notitiarum vel propositionum vel conclusionum ad illam perceptionem ducit; cuius numinis quo modo potest auctoritas labefactari? aut aliquid ab ipso impressum minus certum esse cum separatim, quam cum coniunctim, cogitamus? neque enim sicut dixi, vim suam ab illa coniunctione habet sed ab ipsa Spiritus S. impressione.

§. XIII.

Finiamus hoc nostrum commentariolum in primam definitionis supra propositae partem duplici admonitione, quae neglecta saepe fraudi fuit verae de testimonio hoc diuino sententiae, aut potius iis, qui nostram doctrinam impugnauerunt. Nempe cum illud testimonium volumus in aliquo sensu esse, perspicuum est, vt con-

tra omnis sensus, sic contra huius naturam esse, quod quae ipsi sensus, cum aliis communicare possimus. Nam hoc quidem alienissimum ab hac causa est, quod quidam dicunt: posse nos asseveratione nostra alios de eo, quod tamquam a Spiritu S. impressum percipimus, reddere certiores. Quasi quis id fieri posse dubitasset! Sed illa certitudo, aliorum testimonio continebitur ac fide, plane humana videlicet, non diuina aut aliquo sensu, in quo haec vniuersa disputatio versatur; ipse quidem sensus non est particeps communicationis. in Coecus, vt hoc vtar, numquam obtinet perceptionem eardem rerum, quae per oculos accipiuntur, nec quisquam alius rectam rei adspectabilis ideam concipere animo potest, nisi eius sensibus ipsa res subiecta fuerit. Quod idem est in intestino sensu. Nam, nisi ipsa natura animum ita finxerit, vt in eo infideat quasi quaedam species veritatis vel honestatis vel pulchritudinis, in quam defixus animus ad illius similitudinem vera, falsa, honesta, turpia, pulchra, deformia refert, numquam poterit res huius generis percipere; vt apparet in iis, qui subtiliter et per artis, vt aiunt, regulas de elegantia in dicendo scribendoque audent iudicare, ipsi expertes huius quasi tactus interioris, sine quo ieiunum est aut potius nullum de his rebus iudicium. Quare non est mirandum, quod, qui illud intestinum Spiritus S. testimonium antestantur, eundem sensum non possint aliis tradere, id quod stultissime solet ab aduersariis reprehendi; quid enim stultius est, quam, quae rerum natura non admittit, ea illis vertere vitio velle? Sed facilis est iste error ad agnoscendum, grauior alius late serpens ille valdeque popularis, dulcis enim est eademque de causa captiosior. Errorem dico eorum, qui, vbi extiterit haec a Spiritu S. facta impressio, animum putant vehementer exardescere et eximio quodam gaudio, tanquam furore, concitari. Quod etsi non diffiteor saepenumero contingere propter ea, quod quo maior beatitas est, quam quasi praesentem contuemur, et quo ac-

com-

commodatior suauitas Euangelii necessitati nostrae, hoc magis animi commoueri istius suauitatis magnitudine oportet: tamen multa possunt esse quae non sinant verissimam fiduciam animique tranquillitatem ad tantum voluptatis liquidissimae vestigium exurgere. Neque est necessarium per ipsam verissimae certitudinis naturam, quae numquam est sine voluptate quadam, sed saepe sedationi, non item cum affectu h. e. animi iucundissima perturbatione; ut saepe est in mentis quadam serenitate, non numquam ne in hac quidem, sed in vacuitate a metu ceterisque commotionibus, animi quietem auferentibus, nec statim animum ad exultationem incendit. Abrahamus quidem adeo non carebat certitudine promissionum diuinarum aut *πληροφωριᾶς*, vt etiam certo certius teneret: quae Deus promississet, ea effici ab illo posse, eademque de causa omnibus credituris in exemplum proponeretur: sed eum sine summo dolore aggressum esse immolationem vnici filii sui, profecto nemo crediderit. Possent plura; sed latus est iste locus ac dignissimus qui copiosius excutatur, quod in tertia disputationis parte tentabimus. Hic quidem profuerit nos de illo errore purgasse; nunc ad definitionem reuertamur.

§. XIII.

Erāt autem hoc in ea alterum constitutum, quod ille sensus a Spiritu S. ultra naturae vires effectus sit. Neque id difficilem explanationem habet. Naturam quidem dupliciter dicimus: primum rerum, quarum certitudo quaeritur, deinde hominum in quibus ea certitudo nascatur. Quare hoc volumus: vbiunque tale exstiterit testimonium s. impressio Spiritus S. primum res percipiendas esse posse huius modi, vt non habeant intestinam perspicuitatem h. e. non eas notas, e quibus certo possit veritas earum intelligi; tum in ipso homine esse, quae impediant, quo minus possit eam veritatem percipere.

cipere. Ideo per impressionem suam Spiritus sanctus id efficit, ut et ea, quae aliunde non satis certa sunt, nec a quadam naturae necessitate sed ab arbitrio Dei pendent, veluti: quod Iesus pro nobis mortuus sit, quod fides in eum salutem afferat, quod recte facta Deo non nisi propter hanc fidem profus probentur, eiusdemque generis alia, nobis vere certa reddantur, et quidquid in nobis vel erroris vel temeritatis vel vitii ac prauitatis obicitur, non possit illam certitudinem vel impedire, vel minuere. Ea igitur vis, quae hanc *αὐθεντικὴν* efficit, non est in ipsis doctrinis earumue congruentia cum perceptionibus animi nostri aut propensionibus, sed in Deo, qui, quem ad modum animum humanum ita est fabricatus, ut per solum visorum impulsum possimus visa, et, vel sine examine vilo, quaedam quasi inclusa naturae nostrae principia percipere, eadem vi sua facit ea, quae vel naturae rerum vel facultati nostrae desunt ad percipiendum, ac impulsione sua animum ad assentiendum mouet.

§. XV.

Neque vero, idque est *tertium* quod in definitione sumimus, nullo Spiritus S. adminiculo vitur et quasi instrumento, sed ea, quae diximus, efficit per sacrae scripturae doctrinam; quo ipso discrepat sententia nostra a ratione Fanaticorum, qui omnium rerum diuinarum iudicia solis in sensibus ponunt, scripturae locum nullum concedunt. Id autem, quod volumus, quid sit, quaeque hac in causa vis sit verbi diuini, copiosius dicendum videtur. Ac *primum* hoc, quod ad eam rem facit scriptura sacra, non quaerimus in locis his, quibus ipsi scriptores sacri se diuinitus locutos profitentur; quae, quamuis aliquam continent opportunitatem conliciendi, fore ut hi scriptores ea in re nequaquam mentiantur, propter ea, quod credible non sit, viros bonos, quales fuisse isti scriptores videntur,

Deo

Deo tributuros esse ea, quae a se ipsis excogitata et reposita esse sciunt: tamen, cum hoc ipsum non nisi verisimile sit, istae asseuerationes ipsius sacrae scripturae per se gignere fidem diuinam verissimamque σοφάλειαν non possunt, vt bene demonstrat MVSÆVS (*in der Ienischen Theologen ausführlichen Erklärerung über 93 Fragen* p. 39 sqq.) Quae σοφάλεια tum demum nascitur, cum Spiritus S. vi sua coniuncta cum huius modi oraculis, illorum testimoniorum veritatem animis legentium ea vel audientium imprimit; quo fit vt non propter scripturae auctoritatem in se aliquid in ea propositum verum existimetur, sed propter auctoritatem Sp. S. credatur hoc verum esse, quod sacra scriptura tradit. Neque porro frustra diximus: vti Spiritum S. doctrina caelestis voluminis ad tales motus ciendos. Etenim non sumus ii, qui velimus eum per solam sacrae scripturae *lectionem* hos tantos efficere motus, cuius stultitiae vel nuper admodum fuit qui nostros Theologos accusaret. Neque enim habet volumen diuinum magicam quandam vim, vt tantum legendo et relegendum hominem possit vel docere vel certum reddere vel commouere, quae fuit multorum fanaticorum hominum stultissima opinio; nec cuiquam, quod scio, nostrorum vnumquam in mentem venit, vt diceret: statim, cum legeretur sacra scriptura, Spiritum S. vi sua eorum, quae lecta sunt, perspicuitatem animis iniicere. Quo modo enim, vt Pauli yar verbis (1 Cor. XIII, 16) is, qui rudis est literarum, Amen suum addeere potest? h. e. distortum veritatem agnoscere et profiteri? Sensus est sacrae scripturae perspicendus, et, si subobscurus est, adhibitis recte interpretandi adminiculis requirenda verborum sententia, qua intellecta, ipsa quae sit doctrina scripturae intelligitur, cui doctrinae perceptae et mente quodammodo agitatae numquam deest Spiritus S., quin eius veritatem animis ingerat. Neque propter ea putamus cuiquam hunc Spiritus S. impulsus concedi, nisi cuius in animo antea infederit intelligentia

sensus locorum scripturae eorum, per quae commoueri animus debet. Est autem hoc a Deo sapientissime prouisum, quod hac via i. e. doctrinis utatur, quibus suam vim ad animos pellendos adiungat. Etenim cum vel in ipsis miraculis tantum efficiat per vires naturae rerum insitas, quantum potest, ita ut etiam iis, quibus in Ecclesia Apostolica dederat facultatem depellendorum morborum, praeceperit olei usum (Marc. VI, 13. Iac. V, 14.) et famem 4000 virorum expleuerit cibis, quamquam id solo verbo vel voluntate efficere potuisset (Math. III, 4): nihil conuenit mirari, quod in concitandis hominum animis, qui argumentis momentisque mouentur, tantum teneat hanc viam, quantum vniquam potest. Et quem ad modum homines non sunt e saxo sculpti aut e robore dolati, aut ita natura depressi ut non nisi sensus cuiusdam temeritate agitentur, sed habent animum vera bonaque cernentem, qui id, quod maxime placet, sponte possit eligere: sic erat profecto diuinae vel sapientiae vel beneficentiae consentaneum, ut in mouendis eorum animis huius modi medium adhiberet, per quod illis soluta eligendi optio relinqueretur. Quod fit, cum illam argumentorum momentorumque viam sequitur, quae quidem homini liberam relinquunt potestatem, ut vel persequatur ea vel dimittat, vel audiat rationes vel se constringendum det libidinibus, vel cedat diuinae admonitioni vel resistat, quaeque sunt generis eiusdem; certe, si sine huius verbi interuentu moueretur, non posset diuino impulsui resistere, sed quadem necessaria et quasi fiscali vi auferretur. Enimvero cum ea nunc sit conditio mortalium, ut vires animi humani vniuersae quadam peccati contagione infectae reperiantur, praeterea que visum fuerit Deo, ea hominibus credenda sequendaque proponere, quibus vel pietatem acueret vel sarcineret ea, quae defunt hodiernae hominum naturae; fit, ut haec illis salubria neque reperire possint neque percipere. Quam ob rem opus est ipsius Dei adiumento, quod quo modo succur-

rat

rat ea in re humanae imbecillitati, paucis declarandum videtur.

§. XVI.

Omnes quidem caussae, quae impediunt, quo minus homines veritatem doctrinarum diuinarum recta cum certitudine complectantur, quatuor, vt puto, in classes describi possunt; quamquam non ignoro e pluribus generibus vnā saepenumero mistam esse. Sunt enim multi ita destituti acumine aut ita parum in cogitando exercitati, vt vel ea non possint assequi, quae aliis sunt ad intelligendum facillima. Tam qui vel neutra a parte inertes sunt, tamen non eo, quo possunt, animum intendunt, vt diligenter atque accurate de rebus diuinis cogitent. Est *perro* ea vis temeritatis opinionum atque errorum, isque quasi furor libidinum, menti vt tantam caliginem offundant, quantam dissipare debile lumen veritatis nequaquam possit. *Postremo* non sunt quaedam doctrinae ita cum natura mentisque humana eiusdemque vel notitiis vel principiis coniuncta, vt ex his illarum veritatem quadam quasi continuatione naturae intelligere queamus. Quorum sanandorum malorum duplex videtur ratio Sp. S. esse: *vna* in opportuno doctrinarum diuinarum ad animum appulsu, sic vt Sp. S. cum *per* verbum moueat suum, *altera* tota Sp. Sancti, quae *cum* illo verbo coniungitur; in illa ipse homo aliquam vim efficiendi habet, in hac accipiendi et quasi patiendi. Plenius dicam. Primum si qui sunt, apud quos verbo diuino aliquid ab imbecillitate ingenii aut exercitationis negligentia impedimenti obicitur: non illis quidem dat vel eximiam ingenii subtilitatem vel facultatem eam, quae aliis est exercitationis diuturnitate acquisita: nam et vsus docet hoc nullo modo fieri, et ipse Christus profiteretur (Luc. XVI, 8.): homines in rebus huius vitae iudicandis sagaciores esse iis, qui lumen caeleste sequantur. Sed quem ad modum

boni oratores ad voluntatem auditorum et mores omnes se accom-
modant, et, quo maxime vident se contendere debere, eo dirigunt
cursum orationis vniuersae: ita Deus, cui ingenium cuiusuis, vo-
luntates, cupiditates, necessitates et animi omnes recessus patent,
nec ignorat: quo quis maxime modo et tempore moueri possit, ea
admouet sacrae scripturae dicta vel doctrinas, quae sint quibuslibet
hominibus ad perspiciendum facillimae, eaeque consentientes cum
potitiis et consuetudine eorum, aut propter quandam necessitatem,
quam sentiunt, saepe etiam ipsa nouitate probabiles, idque tempo-
re eo, quo, videt, harum efficaciam doctrinarum vel temporis op-
portunitate adiuuari; quo sensu in AVGVST. CONFSSIONIS
Art. V. profitemur: *Spiritum S. in iis qui audiunt Evangelium fidem
efficere ubi et quando visum fuerit Deo.* Habemus eius rei exemplum
in iis, qui Act. II, 37. leguntur se dedisse Apostolorum disciplinae,
(neque enim hos, plerosque certe, dubito de plebe fuisse), (qui cum
vidissent grande illud miraculum in Apostolis barbarorum linguis
scienter diuina decreta exprimentibus, atque ex Petro consensum
vaticiniorum cum rebus Iesu Nazareni audiissent, essentque ab eo
de atrocitate iniuriae, qua illius Iesu innocentiam affecerant, admo-
niti, ita dolore commoti fuere, vt, contempto etiam odio ac molestia
vniuersa, quae sibi erat a Iudaeorum pertinacissima diritate metuen-
da, statim laetum de salute per Christum nuntium amplecterentur.
Atque eodem modo Spiritus S. mouet eos, quibus defuit studium et
quasi curiositas rerum earum, quas si pensitassent, veritatem reperi-
re facilius potuissent. Namque cum leuitas hominum tanta sit,
vt de nulla re minus, quam de animi sui salute, sint solliciti, at-
que vel ipsa male factorum conscientia faciat, vt malint animum ab
ista miseria suae cogitatione auocare, quam eam magna cum sua
molestia vel mouere vel persequi; vicissim longe maiori rerum hu-
ius vitae quam honorum caelestium cupiditate teneantur: nisi ho-

rum

rum suauitatem, et vel inanitatem terrenae voluptatis vel necessitudinem depellendae miseriae suae senserint quodam modo; non profecto haecenus ad eas res aduertent animos suos, vt salubris earum cogitatio existat. Sed ad illum sensum vel ciendum vel acuum magnam vis est scripturae sacrae, in qua admirabilis ars proponendarum harum rerum reperitur, vt haud sciam an quidquam librorum humanorum cum illa sapientissima eloquentia comparari possit. Quam vbi admouerit Spiritus S. hominum animis, praesertim tempore eo, quo agitantur aduersitatibus et consilii consolationisque inopes se sentiunt: vix fieri potest quin ad rerum diuinarum salubritatem cogitandam aliquatenus acuantur et gignatur apud eos veritatis amor quidam et salutis suae, sine quo quaerendi defatigatio repente venerit. Quare fit vt quasi intra se commoti quaerant eum illis Iudaeis (Act. II): *quid nobis faciendum est?* et Berhocensium instar (Act. XVII, 11) intuestigent scripturas, vt videant, quid in illis vel veritatis vel consolationis reperiant. In istis autem, apud quos dubitationum, cupiditatum, opinionum etiam, quas paene cum lacte nutriticis imbibebant, peruersitas lumen veritatis restinxerat, magna est aduersus haec mala omnia sacrarum opportunitas scripturarum. Etenim quis est qui vel aliqua diligentia in earum doctrinarum commentatione adhibita, non multa nona, certe alias non animaduersa, eaque quasi elegantissima breuitate inuoluta repererit, per quae et aliis earum doctrinis noua lux affunditur, vt probabiliores videantur, et animo offeruntur ea, quae ad plenum assensum deerant? quod quantum faciat ad dubitationes minuendas non est necesse dicere. Atque vt huius modi dubitationes vel solent ex inscientia nostra vel vanitate propullulare: cum illa inscientia possit modo eo, quo diximus, depelli, tum nobilissima simplicitas scripturae, et quasi candor orationis vniuersae, e qua animus scriptorum ab omni fraude abhorrens ac salutis lectorum vnice cupidus eluceat, lectoribus

vicissim in iudicando aequitatem vel inuitis extorquet. Et quem ad modum ii, qui, cum sibi ipsi mederi voluerunt, viderint quam nihil ad sanitatem profecerint, fidenter se curandos tradunt medico, cuius et cura et candore commouentur: sic nihil dubitauerim, posse vel ea ipsa re multos ad diuinam sacrorum scriptorum disciplinam allici. Iam temeritatis in opinando et praeconceptorum opinionum vim quis est quin videat labefactari eodem modo posse? Ea autem promissionum suauitas et seueritas minarum, quas adhibet scriptura sacra, vt in vtramque partem homines flectat, quantum habet ad vim cupiditatum frangendam: praesertim cum, vt diximus, Deus in ad mouendo animis verbo opportunitate vitur? Qua in re non video quid possit incredibile dici. Nonne rerum aduersitas, commoditas corporis, ac quaedam serenitas animi vel tranquillitas et hominem mirifice acuit ad meditando, vt multa tum videat vera, ad quae alias numquam vel summo studio adhibito delatus fuisset, et ita illi aperit stulticiam suam inanitemque cupiditatum, vicissimque praestantiam virtutis, vt, illa contenta, magna cum voluptate ad hanc amplectendam incendatur? Ac saepe vna res, quae praeter expectationem repente in mentem venit, nescio quod lumen rebus obscurissimis affundit, dispellit dubitationum tenebras et vel maxime inueteratas animoque penitus inhaerescens opiniones deicit; vt norunt omnes, qui, quo modo pleraque noua inueniantur, meminerint. Qua via si Deus sacrae scripturae sententiis impulerit animum, quis dubitet easdem effectiones per eam existere posse?

§. XVII.

Et si vero haec aliaque multa, quae breuitas nostra praetermisit, docent aliquid esse virtutis verbo scripto ad hominem salutariter mouendum: multis tamen de caussis necesse est vt ipse Deus vi sua illabatur

illabatur in animos, si, quae sunt ad salutem necessaria, per verbum effici debent. Neque enim omnia scripturae sacrae dicta sunt huius modi, vt e rerum natura perspici et quasi cogi possint, multa cum sint solo Dei arbitrio constituta, aliqua etiam facta quae secus cadere potuissent, in quorum natura ante dixi (§. XVI.) aliquid esse, quod, quo minus certa nobis sint, impediatur. Omnino contra has, quamquam etiam alius generis magis perspicui doctrinas, multa nituntur. Namque tantae sunt superandae difficultates, vt aduersus ea saepe nihil valeat persuasionum vis, quae, vt hoc vtar, efficere forte possunt, vt quid verum rectumque sit videamus et vero anquiramus etiam, sed nullam dant eorum praestandorum facultatem; de qua miseria saepe audimus pios conqueri, vt PAVLLVM Rom. VII, 14 seqq. Ac si qui boni motus exstiterunt per vim verbi diuini, ea tamen est vis perditarum libidinum et consuetudinis, vt erepti ex errorum vitiorumque colluue mox ad eadem volutabra non inuicti revertantur. In ipsis autem scripturis tot sunt res offendentes animum hominis vel profani vel non satis confirmati, vt, si eae accesserint ad ceteras commemoratas difficultates, non mirum sit, hominem sibi soli relictum vel obtinere diuinam certitudinem non posse, vel de eo, quem iam feliciter occupauerat, loco in pristinam miseriam deturbari. Qua propter nisi Deus ipse, vi sua farciret ea, quae humana imbecillitas vel peruersitas non potest, nihil vel diligentissime legendo audiendoue verbo diuino proficeremus ad veram perennemque animi salutem (*). Facit ergo hac in caussa id quod in miraculis,

*) Bene hanc in rem pronunciat FORMVLA CONCORDIAE *solid. declarat.* Art. II. p. 67: Rechenb. *Vtrumque tum concionatoris plantare et rigare, tum auditoris currere et velle, FRVSTRA omnino essent, neque conuersio sequeretur, NISI SE. SANCTI VIRTVS et OPERATIO ACCEDERET, quae per verbum*

culis, vt, cum acutissime viderit, quid et quatenus naturae vires possint efficere conuersionum earum, sine quibus hoc vniuersum non foret sapientissimo Dei consilio dignissimum, tantum exequatur consilium per naturam, quantum potest, cetera ipse, sine huius interuentu, faciat. Itaque, vt breui omnia complectar, Deus mouet humanos animos ipsis doctrinis suis, et vt recte illos feriant, eo in tempore et loco applicat animis, vt quam opportunissime pellant. Ceterum vt illo modo *per* verbum mouet suum, sic ipse vi sua *cum* isto verbo coniuncta tollit ea, quae verbi diuini effectum impediunt in animis ipsis, vt homo possit verbo assentiri ad certitudinemque rerum diuinarum pertingere.

§. XVIII.

Quae cum ita sint, sponte intelliguntur eâ, quae ad errores et suspiciones a sententia nostra seiungendas hic obseruare placet. *Primum* cum se Deus animo cuiusque accommodet, posse quaedam scripturae loca quosdam homines mouere diuinitus, alios non item; allegoricas, vt his vtar, interpretationes locorum atque narrationum Vet. Testamenti Iudaeos, qui erant huic generi argumentorum assueti, cum per illa vix quisquam moueri possit e nostris, qui auctoritate diuina moti ipsis doctrinis Apostolorum assentiuntur, et carere illis allegoriis facile possunt. Inuidiosum hoc vereor esse quod dixi, sed nihil rectius. Etenim hoc mihi licebit sumere: si Deus vult vt veras arbitremur doctrinas suas, non profus opus esse argumentis, quibus

verbum praedicatum et auditum corda illuminat et conuertit, vt homines verbo credere et assentiri possint. Plane quem ad modum Paulus I Cor. III, 6. 7., etsi in colenda rigandaque Ecclesia et ipse et Apollonius vsi fuerant vero Euangelio, nihil, inquit, valere, vel colentem vel irrigantem, sed vnum, qui dat incrementa, Deum.

quibus nobis eas persuadeat; quam sunt enim multa, ipsi vt dissentientes profitentur, quae, cum pendeant a solo arbitrio Dei, veluti necessitas fidei et sacramentorum ad salutem, non secus nisi auctoritate diuina imprimi animis nostris possint? Enimuero si tamen vti-
 tur argumentis, vt sit commodior nostraeque naturae conuenientior persuasio, profecto nulla profuerint alia in ista causa, nisi quae sunt nostro cogitandi ratiocinandique modo accommodata. Est praeter ea nemo, qui iudicare possit, quin fateatur vim diuinam cum sacra scriptura coniunctam sequi naturalem eius vim eamque cum aliis libris communem; quare fuerunt etiam inter nostros, qui dicerent: hanc sacrae scripturae vim naturalem per Deum ultra vires suas eleuari. Quem loquendi modum etsi scio non satis accuratum esse, tamen agnoscunt omnes qui recte de vi sacrae scripturae diuina praecipiant: eam esse naturali eius vi accommodatam. Quo modo enim e. c. indicibus genealogicis in codice sacro negarent aliquam diuinam vim adiunctam esse, nisi in his viderent nihil esse vel argumentorum vel momentorum, quibus Deus vti quodam modo posset? Ac profecto nisi vis illa naturalis in effectis diuinis quasi fundamenti loco poneretur, non video qui possit verbum diuinum medium dici aut instrumentum, quod Deus in animis salutariter mouendis adhibeat. Quae si vera sunt, aperitur etiam illud: posse vno quodam tempore scripturae quendam locum admodum mouere animum, alio tempore minus, prout hoc tempore quis non intelligat locum aut nondum sit satis praeparatus variis vel notitiis vel doctrinis aliis, quas alio tempore admisit in animo, aut certe loci sensum perspexit; vt nullo modo audiendi sint, qui, propter ea quod nullam lecto atque etiam excusso loco scripturae vim animum intus mouentem senserint, totam illam vim commenticiam purant esse. Neque minus est porro perspicuum, non hanc esse vim sententiae nostrae: ita Deum mouere hominem ad assentiendum doctrinae diuinae, vt is resistere ne-

quaquam possit. Quod qui defendunt, concedamus causa cadere; nostrum certe non erat, qui profitebamus antea: infinitam vim Dei mitigari quodam modo per vsum doctrinae, qua hominum animos pellit, cui multipliciter potest resisti; quem ad modum omnis vis alligata instrumento non infinite agit aut tantum, quantum per se potest, sed pro ratione et modo instrumenti. Nec denique verendum est, ne rei Enthustasticorum somniorum reperiamur. Nam primum illam motionem, quae gignit diuinam de rebus diuinis certitudinem, cum verbo copularam dicimus, nec diuinum iactamus affectum, secus quam per ipsam naturam verbi vel hominis mouendi licet. Neque fumus in ea haeresi, quae per illud testimonium Spiritus Sancti vult arcana menti obici non proposita in sacris scripturis; sed, quae iam sunt in caelesti volumine patefacta, ea potentius illabi volumus in animum per Spiritus S. effectiorem, eamque ibi hoc modo certitudinem gignere, quae sit ad beatitatem nostram necessaria.

§. XIX.

Restat postrema pars definitionis nostrae, quae est in eo quod e Sp. S. testimonio existat certitudo vel de diuina auctoritate doctrinae propositae in sacris scripturis vel de gratia Dei ac vera perpetuaque beatitate nostra. In quo primum erunt qui mirentur, quid sit quod doctrinae scripturae dicamus certitudinem obtineri, non ipsius scripturae aut canonicorum, quos dicunt, librorum. Ego vero vicissim dicerem me mirari, quod illa doctrinae certitudine non sint contenti, et, cum certitudinem auctoritatis canonicae librorum sacrorum quasi inaedificent testimonio Sp. S., non videant, et id fieri non posse, et magna mala ex hac opinione nasci; nisi scirem multa saepe vel doctissimis viris disputandi quasi aestu commotis excidere, quae si subtilius quaesiuerint, ipsi non accurate dicta reperiant, efficereque quorundam fallaciam verborum, vt recte fortassis sentientes non

fatis

fatis commode nec sine errore loquantur. Namque in controuersia, quae nobis intercedit cum Pontificis Romani gregalibus, de eo: vnde quoad nos habeat scriptura sacra canonicam aut diuinam auctoritatem? s. vnde constat quod hoc volumen diuino sit afflatu conscriptum? hi illam vel vnice vel praecipue ducunt ab auctoritate Ecclesiae; sed multi e nostris nulla cautione adhibita contra dicunt. Quod cum fieri sine incommoditate, vt postea demonstrabimus, non possit, qui acutius rem vident e nostris, quaestionem diuidere solent, vt *una sit*: quo modo constat libros sacrae scripturae, ab his esse scriptos, quorum nomina referunt? *altera*: quomodo certum sit eos auctoritatem habere diuinam h. e. certam esse recte de rebus diuinis sentiendi et viuendi regulam. Illam esse aiunt quaestionem de eo quod factum sit, hanc de eo quod credi debeat; illam a sola Ecclesiae, aequalis quidem (coaeuae), hanc etiam et praecipue a testimonio Sp. S. pendere (*). Hoc etsi cautius est dictum, tamen non est ab omni ambiguitate seiunctum, atque haud scio an causam disputationis attingat. Prima quidem posita quaestio non cadit in disputationem; nisi quod Pontificii librario nomine *Ecclesiae* vtantur, cuius in ea re auctoritas non nisi haecenus concedi debet, si intelligantur Iudaei et Christiani ii, qui tempore eo, quo sacri libri editi fuerant, aut tum certe vixerunt, cum e non fallentibus documentis de horum librorum auctoribus constabat. Sed altera quaestio dupliciter intelligi potest: *primum* de doctrina scripturae sacrae, *deinde* de canone et canonica auctoritate singulorum librorum. *Illud* si sumitur, recte, contra Pontificios, eius diuina auctoritas repetitur a Spiritu S., cuius vis conuenientia cum illis doctrinis, nos certissimos reddit de ea re; cum Ecclesiae testimonium quodam modo, nec nisi humanam eius rei fidem faciat. Sed si ista volunt, quaeso, cur non aperte loquuntur et ab-

F 2

stiner

(*) Hanc multis frequentatam subtilitatem breuiter atque bene explicatam lege in

Atinent a vocabulorum ambiguitate? (*) Neque etiam id erat in quaestione. Alia haec est controuersia; eaque tota dogmatica; id nunc quidem agebatur: quo modo sciri possit, nostrine an Pontificii in constituendis *libris canonicis* a veritate propius absint? Itaque si *hoc* quaeritur, historica est quaestio, nec est profecto de fide, vt loquitur, h. e. dogmatica; certe non tota est talis; quod statim planum faciam. Principio vt concedam quae aequum est dari in hac disputatione, id prae me fero: posse canonis integri S. scripturae diuinam auctoritatem quodam modo *e testimonio Spiritus S.* intelligi, interueniente tamen, quoad nos, veteris Ecclesiae testimonio. Etenim de vetere testamento Christus ipse eiusque Apostoli perspicue, nec vlla cautione adiecta, id ad salutem hominum idoneum et aptissimum, a Deo quoque inspiratum profitentur Io. V, 39. Luc. XVI, 29. 2 Tim. III, 16. Quae profecto dixerunt accommodate ad mores Iudaeorum; alioquin nec intelligi potuissent; et si quosdam eorum librorum, quibus Iudaei istius temporis diuinam tribuebant originem, non ita probassent, etiam confirmassent hac in causa superstitionem Iudaicam; id quod in tali re dici sine impietate non potest. Itemque Noui Testamenti libros Paullus Apostolus, Rom. XVI, 26. clare appellat *γραφοὶς θεοῦ* h. e. scripta ab ipso Deo per viros sacros profecta, in quibus *κατ' ἐπιταγήν τῆς Θεῆς* tradita sit doctrina caelestis: qualia quae fuerint cum ipse non definierit Apostolus; necesse est, opinor, ea omnia intelligi, quae vel tum, cum haec pronuntiaret Paullus, vel post haec a Christianis, ductis illis quidem per idonea testimonia, tamquam diuina prorsus habebantur. Quare, si constat, id quod satis arbitror constare, veterem Iudaicam Christianamque Ecclesiam hos ipsos, quos vt diuinos veneramus, nec alios vltos, libros in indice diuinorum posuisse, atque Spiritus S., vt vniuersam scripturae doctrinam, sic eam, quae de diuina huius voluminis auctoritate est in locis commemoratis, vi sua in animis confirmat: patet, vt arbitror, id, quod nobis hic erat ad docendum propositum. Atqui hoc in vniuerso argumento facile id quidem apparet: non posse negligi aut seiungi veteris Ecclesiae testimonium, si de canonica vniuersae sacrae scripturae

(*) BELLOSOBRIVS quidem l. c. not. 2. locum affert ex ANTONIO DE DOMINIS, in quo quaestio de *αὐθεντία* librorum sacrorum bene distinguitur a veritate doctrinarum, quae in illis libris continentur; sed in ipsa disputatione sua agitatur quaestio de *libris canonicis*, de quorum numero erat Pontificios inter et Euangelicos concertatio.

rae auctoritate quaeritur, eosque, nisi errare, certe non satis perite loqui, qui nihil hac in quaestione aiunt hoc opus esse testimonio, vel sola Spiritus S. impressione omnem hanc causam consieri posse ac debere. In quo vercor ne vel inuiti atque inscientes Fanaticorum somnia hoc suo decreto adiuent. Nam si verum est id, quod illi ipsi profitentur, Spiritum S. non nisi per sacras literas atque cum istis diuinos ciere motus: quo modo potest de libris canonicis certitudo a Spiritu S. gigni, cum numquam in sacro codice traditus sit numerus librorum canonicorum? et si gignitur tamen diuinitus, necesse est fateri hoc sine interuentu verbi diuini fieri. Memini esse qui respondeat: *Dum habentur ipsi libri, habes catalogum; et dum libris illis omnibus credis, credis catalogum; et licet ita non credatur aliquid scripturae contentum, creditur tamen ipsa scriptura, et nihil aliud quam verbum scriptum.* Quod haud scio an lectores me melius intelligant; mihi quidem vix videtur quidquam inuenustius dictum aut magis alienum. Si habes certum numerum librorum canonicorum, qui scis: omnes hos esse canonicos? E verbone diuino? quod nihil super ea re definiti continet. Opinio haec tua est, quam sequeris, quam obrestor te, qua fronte audes verbum diuinum dicere? Certe audiam quam impietatem clamares, si quis haereticus auderet commenticium substituere canonem eumque tuo argumento defendere. Sed vix digna sunt talia, quae refutantur; docent tamen, quam transuersos egerit viros etiam doctos cupiditas et confusio, quae, semel admissa hac in quaestione, multorum libros et disputationes occupauit. Porro si quis liber statim est in diuinis habendus, quocum Sp. Sanctus suam coniungit vim: omnes libri secundum sacram scripturam compositi, erunt item canonici; neque enim vmquam Spiritus S. deest doctrinae diuinae, siue in ipso sacro codice siue ex eo in aliis legatur libris. Ut non dicam, hoc commento omnem certitudinem de canone sacrae scripturae conuelli, qui quos contineat libros, non potest aliunde quam ex illo testimonio veteris Ecclesiae sciri; e qua re nemo est quin videat quantum periculum nascatur. Omnino vniuersa ista incommoditas existit e confusione diuersarum valde diuersarum quaestionum; quod nos quidem commouit, vt alibi (*Apol. relig. Christ. §. 217.*) seiungendam praecipereamus quaestionem de doctrina ab altera quae est de canone sacrarum scripturarum; effecitque, vt ad solam doctrinam diuinam referremus testimonium Spiritus sancti. Nec video quid deterere nos posset ab ista sententia. Quae cum vera sit atque etiam ne-

cessaria nisi velimus omnem causam sacri canonis deferere, non debet inuidiosa videri, si quidem nec illi Theologi, qui rem subtilius quaesiuere, dubitauerunt in eandem partem pronuciare (*). Et profecto iniquum foret, si quis durius de hac sententia iudicaret, quam de similibus decretis Theologorum, qui, cum quaeritur de sa-

crac
 56 (*) Vnus instar omnium sit IO. MUSAEUS, theologus subtilitate aequae ac rectae do-
 57 strina in primis conspicuus, qui in *Collegio controuersiarum* p. 9. §. 10. *Quinam*
 58 *libri* - inquit *ex immediata Sp. S. inspiratione sint conscripti*, ALIUNDE
 59 NOBIS CONSTARE NON POTEST, nisi ex testificatione Ecclesiae primi-
 60 tiuae. et p. 27. *Quaestio: sine aliquis liber canonicus, est* **QUAESTIO**
 61 **FACTI, et huc redit: Sine liber, quo de agitur, ab auctore deorum ex**
 62 *inspiratione Spiritus S. conscriptus? de huiusmodi autem quaestione facti*
 63 *aliunde constare non potest, certo quidem et indubitato, nisi vel ex relatio-*
 64 *ne testium, - qui, quod ad praesens attinet, ipsos scriptores nouerunt et*
 65 *libros scriptos ab ipsis acceperunt, vel ex supernaturali reuelatione. Sed*
 66 *Ecclesiae praesenti nouae non obtingunt reuelationes. cet.* Omnino primis Eccle-
 67 siae nostrae temporibus nihil reperio in accuratis disputationibus aliud iudica-
 68 tum fuisse; sed postea quam coeperant nonnulli studiosius nostram cum Romana
 69 Ecclesia conciliare, videntur nostrorum quidam Theologorum suspicati fuisse, fo-
 70 re ut errores Pontificiorum de Ecclesiae in constituendo canone auctoritate proba-
 71 rentur, si una ab Ecclesia haec auctoritas, quoad notitiam nostram, repeteretur;
 72 quamquam esse perspicuum aliam esse *iudicis*, aliam *testis* auctoritatem, alio eti-
 73 am sensu Pontificis Ecclesiam, alio a nobis sumi, nec denique de eo quaeri
 74 ynde suam auctoritatem libri canonici habeant in se et quoad originem suam; quam
 75 habent ab vno Deo, sed nostram quoad notitiam? Quod cum minus, quam
 76 par erat, agnosceretur a nonnullis in actu quidem controuersiarum, primum in
 77 *Colloquio Ratisbonensi* MDCL. AEGIDIO HUNNIO, (Sess. XI. p. 244 seq.),
 78 quaedam, vt fit, exciderunt, in quibus videntur quaestiones de *doctrinae*, de qua
 79 *canonis* diuina auctoritate confusae, quamquam bene HEILBRUNNERUS ibi-
 80 dem p. 243. 244. respondet ad TANNERI Quaestionem: esse discrimen inter
 81 articulos fidei ad salutem necessarios, et inter *historicam* fidem, quae respiciat
 82 testificationem primitiuae Ecclesiae, - neque *parem* esse rationem fidei, *quae*
 83 *credimus sacrarum bibliorum codicem esse Canonicum, et quae e. c. creditur*
 84 *incarnationem Christi*. Deinde cum exarissent concertationes eae, quibus oc-
 85 casionem dederant GEORGII CALIXTI consilia pacis cum Pontificis coniungen-
 86 dae, magis etiam incensum fuit studium minuendae auctoritatis testimonii Vet.
 87 Ecclesiae in hac causa, de qua re conferri meretur ABRAH. CALOVI *Systema*
 88 *loc. Theol. T. I. p. 584 seqq.* Ita saepe suspicio et metus imminentis pericu-
 89 li bonos etiam viros cogit paulo durius vel loqui vel sentire; quod est, propter
 90 imbecillitatem humanam, aequo animo serendum, quamquam impia foret acqui-
 91 tas, si consulto in fraudem veritatis adhiberetur.

crae scripturae, aut potius textus archetypi integritate, si salua sit nec vsquam adulterata scripturae *doctrina*, non difficiles sunt in concedenda magna etiam lectionis diuersitate; et in disputatione de lingua, qua conscripti fuerunt sacri libri, eandem vim profitentur *doctrinae* esse in bonis versionibus, quam in archetypo, etsi non nisi *doctrinam* diuinitus constare confirmant, sed idioma negant secus quam per Ecclesiae testimonium intelligi. Quod si quis clamet: hoc modo vim sacrae scripturae diuinam fidemque nostram vniuersam, reuolui ad humana testimonia et fidem (id quod scio quibusdam in mentem venisse); dicat mihi tamen: quo modo ipsam illam suspicionem depellat, cum sit perspicuum: certitudinem de integritate lectionis, deque vero sensu singulorum locorum, e qua vtraque re cognoscitur: quod vere aliquid dictum sit in sacris scripturis, nequaquam ab aliquo diuino impulsu, sed a principiis humanis pendere? Non sum equidem is qui dicam: nihil referre quid de canone sentiarur, cui quaestioni memini me ipsum magnam necessitatem asserere (in *Apol. rel. Christ.* §. 218); sed, quem ad modum ii, qui tempore Apostolorum, aut postea, non vniuersum habebant volumen sacrarum literarum, propter ea non caruere virtute Sp. S. cum suo verbo coniuncti: ita, cum soli *doctrinae* sacrae adiuncta sit effectio diuina, de ea quibus potest certus esse per S. S. testimonium, etiamsi quot et qui sint libri canonici? ignoret. Namque potuisset Deus eandem ipsam salutarem *doctrinam* aliis etiam libris inscribere aut ore propagandam curare. Quare haec *doctrinae* certitudo nequaquam pendet a certitudine de *canone* scripturae recte definiendo; cui si inaedificanda esset illa, fateor fore, vt *doctrinae* auctoritas ad testimonii humani auctoritatem reuolueretur; sed quidquid *doctrinarum* nobis, interueniente Ecclesia, in sacris libris seruatum fuit, materia est quasi quam tanquam diuinam Ecclesia tradidit, cum libros istos ediceret diuinos esse; at vere eam *doctrinam* diuina auctoritate esse, hoc narrat quidem, idque probabiliter, vetus Ecclesia, sed de ea re firma *doctrina* non nisi e testimonio Sp. S. existit.

§. XX.

Doctrinam autem, quam confirmat Sp. S., quamcunque dicimus, quae ad animi beatitatem siue propius siue quodam modo remotius facit, siue promittendo, siue praecipiendo, siue narrando tradita sit in scripturis sacris. Perspicua est, vt hoc vno argumento

vtar,

vtar, professio Pauli Apostoli, qui doctrinam eam, quae sibi habeat ἀπὸ τοῦ ἁγίου Spiritus S. adiunctam, clare dicit per liberam beniuolentiam Dei constitutam esse, vt, qui crederent, salui essent (1 Cor. II, 4. 5. I, 21.). Alterum, quod diximus nobis imprimi per Spiritus diuini testimonium, h. e. certitudo de gratia Dei erga nos ac beatitate nobis parata, facile est ad intelligendum, vt longa disputatione non sit opus. Modo hoc vnum sit nobis constitutum, non eam intelligi certitudinem, quae est in dubitationis vacuitate et securitatis similior quam certitudinis, aut continetur generali quadam persuasione eius rei, sed eam, qua quis ad se certo scit tantum beneficium pertinere, vt vere et consentiente omni animo cum Paulo dicere possit: (Gal. II, 20. Rom. VIII, 38. 39. 2 Tim. III, 8.). *Amavit ME Christus seque pro ME morti dedit! Suaque persuasus nihil ME posse sciungere ab amore Dei quo ME propter Christum, Dominum MEVM, complectitur! Ceterum parata MIHI est probitatis corona, quam MIHI tradet Dominus, iustissimus iudex!*

§. XXI.

Denique certitudo ea, quam gignit vi sua Spiritus S. per verbum factum, non est illa quidem geometrica h. e. eius naturae, vt dubitatio ne esse quidem possit in contrariam partem; qualem certitudinem ne ipsa quidem natura harum rerum, quas dicimus, admittit. Sed vt illa certitudo impeditur vel ipsa hac rerum diuinarum natura, in quas intestina quaedam necessitas non cadit, vel rebus ab animis ipsorum hominum accedit; id quod supra latius est explicatum (§. XVI.): vtrumque difficultatum genus impressione sua Spiritus S. tollit, vt istis haec certitudo longe superior sit, vno verbo talis, qualis erat Abrahami patris omnium qui vere credunt, qui, quamquam multis suspensionibus agitabatur venientibus a naturae humanae imbecillitate: tamen, vt ait Paulus, (Rom. III, 18 seqq.) *praeter spem fidenter (ἐν ἔλπιδι, περὶ) credebat, et firmus fide factus in Deo acq̄iescebat, certo persuasus: nihil esse, quod Deus promiserit, quin item efficere possit.* Diuersam tamen illam esse, pro hominum temporumque ratione, certitudinem, ea docent, quae supra commemorauimus, et facile ampliora reddi possunt ab iis, qui impedimentorum huius certitudinis fontes, quos ibi aperuimus, cogitando persequi velint.

78 L 1708

ULB Halle

3


002 390 507




Sb.

Hi. 100.







DE

NO TESTIMONIO
RITVS SANCTI

C V I V S

ARTEM PRIMAM

VENERANDAE FACVLTATIS THEOLOGICAE

GRADV DOCTORIS


AD D. AVGVSTI

IS ANTE ET POMERIDIANIS

DEFENDET

VSTVS NOESSELT A. M.

THEOL. ORDIN. PROFESSOR.



HALAE

IO. GODOFREDVM TRAMPIVM

A. M D CC LXVI.